

C O M I T A T V S  
M O L I S S I N V S,  
E T  
P R I N C I P A T V S V L T E R I O R.



Olifinus Comitatus, vulgo *Contado di Molise*, incolere olim *Sammites*, quorum regio *Sammium* dicebatur, à *Sammio* capitali urbe, nunc deleta, ut quidam volunt. Opida in eo *Bovianum*, *Afernia*, *Sæpinum*,

*Allifæ*, *Telesia*, nunc vulgo *Bojano*, *Isernia*, *Sepino* *Allife*, *Telese*, Episcopatus titulo florens. Comitatus hic omnes ad se invitat, tum amœnitate vallium, tum collium suavitate, atque aliis deliciis.

*Hirpini.*

Ultra *Sammites* *Hirpini* fuere à *Samnitibus* orti; nomen habent ab colonie ductore *Lupo*, qui *Samnitibus* *Hirpus*. *Conregionales* *Hirpinis*, *Samnitibusque* hic, ab ortu sunt *Lucani*; hodie *Basilicata* provincia: ab meridie *Campani* & *Picentini*; *Principatus* *citerior* & *Terra laboris*: ab occasu *Sabini* & *Vestini*; *Aprutium*: à *Septentrione* *Apuli* *Dauni* in *Apennino*; *Capitaneatus*. *Hirpinorum* oppida fuere *Beneventum*, *Equus Tuticus*, *Abellinum*, *Compsa*; nunc *Benevento*, *Ariano*, *Avellino*, *Conza*.

*Beneventum.*

*Beneventum*, auspiciatus mutato nomine, quum initio appellaretur *Maleventum* propterea quod venti hic, & turbines tantopere sæviant, ut equitem cum equo simul arreptum sublimem deferant, eumque per aërem circumactum & quocunque tulerit casus projectum interimant, quemadmodum refert *Procopius* libro primo de bello *Gothorum*. Meminit ejus *Horatius* in suo *Odontopaxi*:

*Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes*

*Penè arsit, macros dum turdos versat in igne.*

Civitas est *Archiepiscopalis*, situ admodum oportuno & amœno, summa agrorum bonitate præstans. In *Hirpinis*, eorumque *Coloniâ* esse, scribit *Plinius*: in *Sammio* ponunt *Strabo* & *Ptolemæus*: *Campanum Beneventum* nominat *Ausonius* his versibus:

*Cænea convertit proles Saturnia: Consus*

*Ambiguoque fuit corpore Tiresias;*

*Vidit semivirum fons Salmacis Hermaphroditum;*

*Vidit nubentem Plinius Androgynum:*

*Nec satis antiquum, quod Campano in Benevento*  
*Vnus ephēborum virgo repente fuit.*

*Italia.*

Ab *Neapoli Beneventum* xxx fere m.p. intercedunt. *Coloniâ* civium Romanorum deductam *Beneventum*, quo tempore & *Ariminum*, auctores sunt *Livius* & *Vellejus*: quam ob causam & *Colonia* *Plinio* dicitur, & in antiquo lapide *Coloniis* etiam connumerat *Coloniâ* liber. *Concordia* *Colonia* cognominatur apud *Frontinum*. Cives *Incolæ.*

maximam olim virtutis & disciplinæ militaris opinionem apud Romanos habuisse, notum est ex historiis. *Martyrio Beneventi* adfectus est cum aliis *Ianuarius* *Episcopus* sub *Diocletiano*. *Nobilitarunt* hanc urbem ortu suo *Orbilus* *Grammaticus*, magister ætate *Ciceronis* plagosus; *Gregorius VIII*, *P. M. Roffredus* & *Odofredus*, *Iuriconsulti* celeberrimi. *Nobiles* hic familiæ non pauca, quæ vulgo: *Capo-bianchi*, *Condestabili*, *Controvieri*, *di Gregorio*, *Manfelli*, *Mascambruni*, *Mazzili*, *di Pacca*, *Pescie*, *Savariani*, *Velota*, & alia. *Ager suburbicarius* vulgo dicitur *Valle*, vel *Destretto di Benevento*; multorum millium. *Beneventum* urbs ab *Hannibale* primum direpta, dein ab *Totila* *Gothorum* rege everfa, & ab *Langbardis* postea est refecta, qui, tota *Italia* occupata, sedem & *Ducatus*

*Imperii* sui una cum *Beneventani Ducatus* nomine hic constituerunt, quod annos stetit fere ducentos; donec sublata ab *Karolo Magno* eorum *Dominatione*, in potestatem ac ditionem venit *Regum Italicorum*. Iterum aliquot annis post ab *Saracenis* vexata est & cremata: iis deinceps *Italia* pulsus, instaurata denuo; sed non ita multo post ab *Othone I* *Imperatore* vi expugnata est, & vastata. Tandem ab *Gulielmo Nortmanno*, qui *Regnum Sicilia* post adeptus, reedificata, *Pontificis Romani* imperio parere est iussa: quam tamen aliquanto post rursus ab *Friderico I* *Imp.* direptam everfamque esse, *Platina* in vita *Hadriani IV*, & *Gregorii IX*, testatur. A quo postea refecta fit, non legitur.

*Sabbatum* transgresso se offert opidum *Trippalta*, ferrariis officinis notum, *Marchionatusque* dignitate ornatum. Cives *Hippolyti Martyris* ossa in primario templo servare se gloriantur. Sequitur silva latronibus infamis *Trippaltina*. & in *Apennino* *Mons Grumus*, quondam ita dictus; nunc *Crepacorius*. Iuxta fluvios *Tripaltum* & *Miscanum* opida jacent *Cursanum*, *Mons Calvus*, & *Arianum*, in colle aspero & difficili fitum; titulum nunc habens *Comitatus*.

M m m m